Annus XV - Vol. XV 5 Iulii 1923 Num. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Litterae Encyclicae, p. 309; Motu proprio, p. 327; Constitutiones Apostolicae, p. 329; Litterae Apostolicae, p. 335; Epistolae, p. 339.

Acta SS. Congregationum: - *Suprema S. C. S. Officii:* Declaratio, p. 356. - *S. C. Consistorialis:* Provisio Ecclesiarum, p. 356. - *S. C. de Religiosis:* I. Decretum de monialibus in Galliis, p. 357. II. Approbationes, p. 359. III. Instruction ou liste des questions, p. 360. - *S. C. de Propaganda Fide:* I. Decretum de praefectura apostolica de Adamaua, p. 368. II. Litterae ad Superiores Religionum missionalium, p. 369. III. Litterae ad Ordinarios de Expositione Vaticana Missionaria, p. 372. IV. Ad Moderatores Missionum, de eadem, p. 374. V. Normae adiectae, p. 376. VI. Nominationes, p. 378. - *S. C. Rituum:* Dubium de Missa votiva SS. Cordis Iesu, p. 379.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni *Antipreparatoria, Ordinaria* e *Particolare.* - Segreteria di Stato: Nomine, onorificenze. - Maggiordomato: Nomine. - Necrologio, p. 380-388.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXIII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.
Administratio: Tipografia Poliglotta Vaticana. — Roma.

Pretium annuae subnotationis.
Pro Italia, Lib. 18. — Extra Italiam, *Frs.* 24.
Unius fasciculi, Lib. 2 —

- *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* - (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XV, n. 7 - 5 Iulii 1923)

ACTA PII PP. XI

Litterae Encyclicae

PAG.

Studiorum Ducem. - Ad venerabiles fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: saeculo sexto exeunte a sanctorum caelitum honoribus Thomae Aquinati decretis. - *29 iunii 1923* . . 309

Motu proprio

Orbem catholicum. - De christianae doctrinae institutione toto orbe catholico ordinanda. - *29 iunii 1923* 327

Constitutiones Apostolicae

I. *Orbis catholici regimen.* - Verae Crucis. Dismembrationis et erectionis dioecesis Papantlensis. - *24 novembris 1922* . . 329

II. *Inter negotia.* - De Tulancingo. Dismembrationis et erectionis dioecesis Huejutlensis. - *24 novembris 1922* 332

Litterae Apostolicae

I. *Cum ex apostolico munere.* - Dioecesis Osakensis in Iaponia dismembratur atque inde efformatur novus vicariatus apostolicus de Hiroshima. - *4 maii 1923* . . 335

II. *Ex hac sublimi.* - Suppressi vicariatus apostolici de Marshall territorio et nomine augetur vicariatus apostolicus insularum Marianarum et Carolinarum. - *4 maii 1923* 336

III. *Iam inde.* - Sanctuarium a Matre Domini, intra fines archidioecesis Salernitanae, titulo basilicae minoris augetur. *11 iunii 1923* 337

IV. *Venerabilis frater.* - Titulus basilicae minoris confertur ecclesiae Sanctae Mariae a Mari, civitatis Barcinonensis. - *11 iunii 1923* 338

Epistolae

I. *Perlibenti.* - Ad Emum P. D. Antonium tit. Ss. Marcellini et Petri S. R. E. presb. card. Mendes Bello, Patriarcham Olisiponensem, ceterosque Archiepiscopos et Episcopos Lusitaniae: epistolae respondens ex communi conventu datae. - *14 maii 1923* 339

II. *Quod annum.* - Ad R. P. D. Carolum Gibier, episcopum Versaliensem, quinquagesimum sui sacerdotii natalem celebraturum. - *15 maii 1923* 340

III. *Conditum.* - Ad R. D. Patritium Hieronymum Hennessy, moderatorem generalem Congregationis Fratrum a Scholis Christianis Hiberniae: pleno iam saeculo ab Instituti ipsius canonica confirmatione. - *28 maii 1923* 341

IV. *Quod die.* - Ad Emum P. D. Ludovicum titulo Sanctae Mariae in Aquiro S. R. E. presb. cardinalem Dubois, Archiep scopum Parisiensem: in quinquagesimum annum a voto nationali de templo Sami Cordis in Monte Martyrum excitando nuncupato. - *26 maii 1923* 342

V. *Quinquagesimo.* - Ad R. P. D. Thomam Esser, O. P., Episcopum tit. Sinidensem, quinquagesimo exeunte anno sacerdotii eius. - *27 maii 1923* 343

VI. *Cum in Vallem Pompeiorum.* - Ad RR. PP. DD. Carolum Gregorium Mariam Grasso, Archiepiscopum Salernitanum, ceterosque Archiepiscopos atque Episcopos regionum Picentinae et Lucanae: officiosis respondens litteris ex communi conventu datis. - *28 maii 1923* . . . 344

VII. *Non sine.* - Ad R. P. Ioannem Baptistam Ollitraut de Keryvallan, abbatem generalem Cisterciensium Reformatorum: nonnulla paterno animo admonens in Ordinis ipsius utilitatem. - *28 maii 1923* 345

VIII. *Quam, Neapoli.* - Ad RR. PP. DD. Ianuarium Cosenza, Archiepiscopum Capuanum, ceterosque Campaniae Archiepiscopos et Episcopos: communi ex annuo conventu datae epistolae respondit. - *29 maii 1923* 347

IX. *Dolendum.* - Ad Emum P. D. Basilium S. R. E. Episcopum Velitternum card. Pompilj, vice sacra Urbis antistitem: de solemnibus supplicationibus ad sacerdotalis vocationis gratiam pluribus impetrandam. - *8 iunii 1923* 348

X. *Bellum post.* - Ad Emum P. D. Gustavum Fridericum tit. S. Marci S. R. E. presb. card. Piffl, Archiepiscopum Vindobonensem, ceterosque Austriae Ordinarios: de conventu rei catholicae provehendae Vindobonae futuro. - *10 iunii 1923.* . 349

XI. *Quam, ante.* - Ad Emum P. D. Desideratum tit. S. Petri ad Vincula S. R. E. presb. card. Mercier, Archiepiscopum Mechliniensem, ceterosque Belgarum Episcopos: communibus respondens officiosis litteris. - *10 iunii 1923* 351

XII. *Certiores.* - Ad R. P. D Paulum Iacuzio, Archiepiscopum Surrentinum: quinquagesimo exeunte anno ex quo archidioecesis publice Cordi Sacratissimo Iesu consecrata est. - *11 iunii 1923* . . . 353

XIII. *Quando nel principio.* - Ad Emum P. D. Petrum titulo S. Laurentii in Lucina, S. R. E. Card. Gasparri, a secretis Status: de dissidiis componendis quae pacem populis affulgere nondum sinunt. - *24 iunii 1923* 353

ACTA SS. CONGREGATIONUM

Suprema S. Congregatio S. Officii

Declaratio 356

S. Congregatio Consistorialis

Provisio Ecclesiarum 356

S. Congregatio de Religiosis

I. Decretum circa moniales in Gallia et in Belgio. - *23 iunii 1923* 357

II. Approbationes 359

III. Instruction ou liste des questions auxquelles doivent répondre les Supérieurs généraux et les Supérieures Générales des Instituts à vœux simples, dans le rapport qui doit être envoyé au Saint-Siège tous les cinq ans. - *25 martii 1923* 360

Annus XV - Vol. XV 5 Iulii 1923 Num. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: SAECULO SEXTO EXEUNTE A SANCTORUM CAELITUM HONORIBUS THOMAE AQUINATI DECRETIS.

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Studiorum Ducem sacrae iuventuti in maioribus disciplinis haud ita pridem per apostolicam epistolam Nos, Iuris Canonici statuta confirmantes, habendum esse ediximus Thomam Aquinatem. Eiusdem rei magis ac magis nostrorum animis inculcandae eisque declarandi quo pacto in schola tanti Doctoris utilissime versentur, praeclara se Nobis dat occasio, appropinquante die cum abhinc sexcentis annis rite is est in Sanctorum numerum adscriptus. Nam mirabili quadam cognatione inter se scientia veri nominis et, illa virtutum omnium comes, pietas continentur; cumque Deus ipsa veritas bonitasque sit, profecto ad Dei gloriam animarum salute quaerendam – quod est Ecclesiae praecipuum propriumque munus – satis non foret sacrorum administros bene esse a cognitione rerum instructos, nisi iidem idoneis virtutibus abundarent. Haec autem doctrinae cum pietate, eru-

ditionis cum virtute, veritatis cum caritate societas, singularis prorsus exstitit in Angelico Doctore; cui quidem iure etiam insigne solis attributum est, utpote qui, scientiae lumen mentibus afferendo, igniculos virtutum in voluntates iniiciat. Qui est igitur omnis sanctitatis et sapientiae fons Deus omnino videtur ostendere in Thoma voluisse, quemadmodum altera ex his rebus alteram adiuvet, id est virtutum exercitatio ad veritatis contemplationem componat, ac vicissim subtilior veritatis meditatio virtutes expoliat atque perficiat. Etenim qui pure vivat et integre domitasque habeat virtute cupiditates, is quidem, tamquam magno impedimento solutus, multo facilius tollere ad caelestia potest animum altiusque Dei arcana introspicere, secundum illud ipsius Thomae: « Prius vita quam doctrina: vita enim ducit ad « scientiam veritatis »;[1] idem vero, cum in cognoscendis iis quae sunt supra naturam, studii plurimum collocaverit, ex hoc ipso ad perfecte vivendum non parum se sentiet excitari: neque enim solivaga aut ieiuna, sed valde actuosa dicenda est tantarum rerum scientia, quarum pulchritudo totum hominem ad se rapiat atque convertat.

Haec sunt in primis, Venerabiles Fratres, quae licet ex hac saecularis memoriae recordatione discere: sed quo eadem clarius appareant, visum est Nobis de Thomae Aquinatis et sanctitate et doctrina breviter in his Litteris disserere, tum demonstrare quae inde fluant sacro ordini maximeque sacrorum alumnis, denique christiani nominis universitati opportuna documenta.

Quaecumque in genere morum sunt virtutes, Thomas quidem omnes praeclarissimas habuit, easque ita copulatas et connexas, ut, quemadmodum ipse vult, coalescerent in caritate « quae dat « formam actibus omnium virtutum ».[2] Sed si sanctitatis huius notas tamquam proprias et peculiares quaerimus, prima omnium occurrit ea virtus, unde quaedam cum angelicis naturis visa est esse Thomae similitudo; castimoniam dicimus, quam cum in

[1] *Comment. in Matth.*, c. V.

[2] II-II, q. XXIII, a. 8; I-II, q. LXV.

praesentissimo periculi discrimine servasset illaesam, dignus est habitus quem mystica zona angeli cingerent. Cum hac tanta puritatis laude par coniuncta erat bonorum fluxorum fuga itemque despicientia in contemnendis honoribus: constat summa eum constantia, propinquorum, qui se ad percommodam saeculi condicionem omni ope cogerent, fregisse pervicaciam, ac deinde apud Pontificem Maximum, sacras infulas offerentem, orando effecisse, ne formidatum sibi onus imponeretur. At id quo Thomae sanctitudo maxime distinguitur, ipse est qui appellatur a Paulo *sermo sapientiae*:[1] atque illa duplicis sapientiae, acquisitae et infusae, quae dicuntur, copulatio, quacum nihil tam apte quam humilitas, quam orandi studium, quam Dei caritas convenit.

Humilitatem quidem instar fundamenti fuisse quo ceterae virtutes Thomae niterentur, patet consideranti quam is obedienter in communis vitae consuetudine fratri laico obtemperaret: nec minus perspicuum est legenti eius scripta, ex quibus tam magnum redolet erga Ecclesiae Patres obsequium; ut is quidem « veteres « Doctores quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium « quodammodo sortitus »[2] videatur: id ipsum autem egregie illustratur ex eo quod divini ingenii facultates minime in suam ipsius gloriam, sed in emolumentum veritatis impenderit. Ita dum philosophi suae propriae claritudini fere serviunt, hic in tradenda doctrina omnino sese obscurare studet, ideo nimirum ut sola de se lux caelestis veritatis effulgeat. – Haec igitur humilitas, cum munditie illa cordis, quam memoravimus, summaque sanctarum precum assiduitate coniuncta, docilem mollemque faciebat Thomae animum ad afflatus et lumina Sancti Spiritus et accipienda et sequenda, in quibus quidem ipsa contemplationis principia consistunt. Quae ut desuper impetraret, saepe omni cibo abstinere, saepe totas comprecando vigilare noctes, identidem ex ingenuae pietatis impetu ad Sacramenti augusti tabernaculum applicare caput, assidue vero ad Iesu Crucifixi imaginem oculos animumque dolenter convertere, confessus familiari suo, sancto Bonaventurae,

[1] I, *Cor.*, XII, 8.

[2] Leo XIII, ex Card. Caietano, litt. Encycl. *Aeterni Patris*, d. IV aug. a. MDCCCLXXIX.

ab eo maxime libro se, quantum sciret, didicisse. Vere igitur cadit in Thomam illud vulgatum de Dominico Patre legifero, qui nisi cum Deo aut de Deo non locutus umquam fuisse dicitur.

Cum autem in Deo, tamquam prima causa eodemque rerum fine ultimo, contemplari omnia soleret, pronum ei erat, sicut in sua *Summa Theologica*, sic in vita unam et alteram quae memorata est, sequi sapientiam; quarum haec apud ipsum est descriptio: « Per sapientiam quae studio humano acquiritur ... habetur rectum « iudicium de rebus divinis secundum perfectum usum rationis ... « Sed altera est desursum descendens ... et de rebus divinis iudicat, « propter quamdam connaturalitatem ad ipsas. Hoc est donum « Spiritus Sancti ... quo fit homo perfectus in divinis, non solum « discens sed et patiens divina ». [1]

Haec igitur a Deo delapsa seu infusa sapientia, ceteris comitata donis Sancti Spiritus, perpetuum in Thoma accepit incrementum, aeque ac caritas, omnium domina et regina virtutum. Etenim illa huic erat certissima doctrina, amorem Dei numquam non oportere crescere « ex ipsa forma praecepti: *Diliges Dominum « Deum tuum ex toto corde tuo;* totum enim et perfectum idem sunt ... « Finis praecepti caritas est, ut Apostolus dicit, [2] in fine autem « non adhibetur aliqua mensura, sed solum in his quae sunt ad « finem ». [3] Quae ipsa est causa quare sub praeceptum perfectio caritatis cadat tamquam illud quo omnes pro sua quisque condicione niti debent. Porro autem quia « caritas proprie facit ten- « dere in Deum uniendo affectum hominis Deo, ut scilicet homo « non sibi vivat, sed Deo »; [4] idcirco in Thoma continenter, cum geminata sapientia, Dei amor augescens, ad extremum perfectam sui oblivionem ingenuit, adeo ut Iesu Crucifixo ita se alloquenti: *Bene, Thoma, scripsisti de me* eidemque roganti, *quam recipies a me pro tuo labore mercedem?* responderit: *Domine, non nisi Te.* Itaque, caritate instinctus, aliorum utilitatibus impense servire

[1] II-II, q. XLV, a. 1, ad 2 et a. 2, c.

[2] I, *Tim.*, I, 5.

[3] II-II, q. CLXXXIV, a. 3.

[4] II-II, q. XVII, a. 6, ad 3.

non cessabat, vel optimos libros conficiendo, vel fratres laborantes adiuvando, vel in subsidium pauperum suis se vestimentis exspoliando, vel etiam ad sanitatem aegrotantes restituendo, ut cum in Basilica Vaticana, ubi per Paschalia solemnia concionabatur, mulierem, quae vestis eius laciniam tetigerat, ab inveterato sanguinis fluxu repente liberavit.

Atque hic *sermo sapientiae* a Paulo laudatus in quo alio Doctore, quam in Angelico, luculentior? Qui docendo non satis habet erudire hominum mentes, sed etiam ad Dei amorem, omnium effectorem rerum, redamandum studiosissime impellit voluntates. « Amor Dei est infundens et creans bonitatem in rebus »; sic enim pulcherrime affirmat:[1] et hanc divinae bonitatis diffusionem, singula mysteria pertractans, illustrare non desinit. « Unde ad « rationem summi boni pertinet quod summo modo se commu- « nicet, quod quidem maxime a Deo fit... per Incarnationem ».[2] Nihil vero tam clare huius et ingenii et caritatis vim ostendit, quam Officium ab ipso compositum de augusto Sacramento: quod erga Sacramentum quomodo in omni vita fuisset affectus, illa morientis vox, cum sanctum Viaticum susciperet, declaravit: ***Sumo Te, pretium redemptionis animae meae, pro cuius amore studui, vigilavi et laboravi.***

Sic leviter adumbratis magnis Thomae virtutibus, iam non difficile intelligitur eiusdem praestantia doctrinae; cuius quidem in Ecclesia mirum quantum valet auctoritas. Profecto Nostri decessores tamquam uno ore semper eam laudibus extulerunt. Ipso etiam tum vivo, Alexander IV ita perscribere non dubitavit: « Dilecto filio, Thomae de Aquino, viro utique nobilitate generis « et morum honestate conspicuo ac thesaurum litteralis scientiae « per gratiam Dei assecuto ». – Postquam autem e vivis excesserat, eius non solum virtutes sed doctrinam etiam consecrare visus est Ioannes XXII, cum, ad Patres Cardinales verba faciens, memorabilem illam edidit in Consistorio sententiam: « Ipse plus illumi-

[1] I, q. XX, a. 2.
[2] III, q. I, a. 1.

« navit Ecclesiam quam omnes alii Doctores; in cuius libris plus « proficit homo uno anno quam in aliorum doctrina toto tempore « vitae suae ».

Cum igitur hic intelligentiae scientiaeque, humana maioris, existimatione floreret, eum Pius V in sanctorum Doctorum numerum rato *Angelici* titulo adscripsit. Ceterum Ecclesiae de hoc Doctore opinionem maximam quid tam aperte indicat quam quod Patres Tridentini duo dumtaxat volumina, Sacram Scripturam et Summam Theologicam, sibi consiliantibus patere super altare reverenter proposita voluerunt? Atque in hoc genere, ne persequamur ex ordine omnia Sedis Apostolicae documenta, quae innumerabilia sunt, feliciter nostrâ memoria contigit ut, Leonis XIII auctoritate et instantia, Aquinatis disciplina revivisceret; quod quidem illustris decessoris Nostri promeritum tanti est, ut, quemadmodum alias diximus, si multa praeclara sapientissime ab eo constituta gestave non essent, ad immortalem Leonis gloriam hoc unum sufficeret. Iisdem mox vestigiis ingressus est sanctae recordationis Pontifex, Pius X, praesertim Motu proprio *Doctoris Angelici*, in quo illud praeclare dictum: « Post « beatum exitum sancti Doctoris nullum habitum est ab Ecclesia « Concilium in quo non ipse cum doctrinae suae opibus interfue« rit ». Proxime autem, Benedictus XV, decessor Noster desideratissimus, plus semel id ipsum sibi placere professus est: cui dandum est laudi quod iuris canonici Codicem promulgavit, ubi, Angelici Doctoris « ratio, doctrina et principia » plane consecrantur.[1] Nos vero haec tanta divinissimo ingenio tributa praeconia sic probamus ut non modo Angelicum, sed etiam *Communem* seu universalem Ecclesiae Doctorem appellandum putemus Thomam, cuius doctrinam, ut quam plurimis in omni genere litterarum monumentis testata est, suam Ecclesia fecerit. At enim, quia prope infinitum est, quascumque rationes in hac causa decessores Nostri explicarunt, cunctas hic exsequi, tantum videtur Nobis ostendere, et Thomam supernaturali animatum spiritu, unde vivebat, scripsisse, et eius scripta, in quibus omnium sacrarum

[1] Cfr. can. 1366 § 2.

disciplinarum principia legesque tradantur, universalis dicenda esse naturae.

Etenim sive docendo sive scribendo hic divina pertractat, praeclarissimum dat theologis documentum illius quae inter sensus animi et studia intercedere debet necessitudo maxima. Nam, quemadmodum regionem aliquam longinquam bene habere cognitam non dicitur qui eius descriptionem quamvis subtilem cognoverit, sed qui aliquamdiu ibidem vixerit, sic intimam Dei notitiam sola scientiae pervestigatione nullus assequitur, nisi etiam cum Deo coniunctissime vivat. Iam vero sancti Thomae huc omnis theologia spectat, ut ad intime in Deo vivendum nos adducat. Ut enim puerulus ad Montem Casinum finem non faciebat rogandi « *quid est Deus?* », ita quicumque ab eo sunt compositi libri, de mundi creatione, de homine, de legibus, de virtutibus, de Sacramentis, omnes denique in Deo sempiternae salutis auctore versantur.

Itaque de causis horum studiorum sterilitatis disputans, quae sunt vel curiositas, hoc est immoderata scientiae cupido, vel ingenii tarditas, vel contentionis perseverantiaeque fuga, nullum aliud eis vult esse remedium nisi magnam laboris alacritatem, quae pietatis ardore vigeat atque ex spiritus vitâ profecta esse videatur. Cum igitur triplici lumine studia sacra dirigantur, recta ratione, fide infusa et donis Sancti Spiritus, quibus quidem intelligentia perficitur, his omnibus nemo umquam amplius quam noster abundavit; qui postquam in re quapiam perardua diligenter ingenii sui opes adhibuerat, difficultatum explanationem a Domino ieiuniis precibusque humillimis implorabat: Deus autem tam benignus supplicem audire consueverat, ut ad eum edocendum Apostolorum principes interdum delegaret. Quare non est mirum, si, cum vitae exitus appropinquabat, eum contemplationis gradum ascenderat, ut quicquid scripsisset, id omne summae levitatis, non secus ac *paleas*, sibi videri diceret, seque negaret iam dictare posse quicquam; adeo iam solum aeterna spectabat, adeo nihil aliud nisi videre Deum expetebat. Omnino enim, auctore Thoma, hic est qui potissime sacris e studiis per-

cipi fructus debeat, magnus Dei amor magnumque desiderium rerum aeternarum.

Sed is, cum docet exemplo suo, quomodo in eadem studiorum varietate versari nos oporteat, tum praecepta firma et stabilia tradit singularum disciplinarum. Nam principio, quis philosophiae naturam rationemque, partes earumque vim melius explicavit? En qua perspicuitate convenientiam consensumque demonstret omnium inter se membrorum, unde huius scientiae tamquam corpus efficitur. « Sapientis est - ait - ordinare. Cuius ratio est quia sapientia potissime est perfectio rationis, cuius proprium est cognoscere ordinem: nam, etsi vires sensitivae cognoscant res aliquas absolute, ordinem tamen unius ad alteram cognoscere est solius intellectus aut rationis. Secundum autem diversos ordines quos proprie ratio considerat, sunt diversae scientiae. Ordo enim quam ratio considerando facit in proprio actu pertinet ad philosophiam rationalem (seu *Logicam*), cuius est considerare ordinem partium orationis ad invicem et ordinem principiorum ad invicem et ad conclusiones. Ad philosophiam autem naturalem (seu *Physicam*), pertinet considerare ordinem rerum quem ratio humana considerat sed non facit: ita quod sub naturali philosophia comprehendamus et *Metaphysicam*. Ordo autem actionum voluntariarum pertinet ad considerationem moralis philosophiae, quae in tres partes dividitur: prima considerat operationes unius hominis ordinatas ad finem, quae vocatur *Monastica;* secunda considerat operationes multitudinis domesticae, quae appellatur *Oeconomica;* tertia considerat operationes multitudinis civitatis, quae vocatur *Politica* ».[1] Quas philosophiae partes Thomas diligenter omnes pertractavit, propria singularum via, ita quidem ut ab iis profectus quae maxime humanae rationi coniuncta sunt, gradatim ad remotiora adscendens, denique « in supremo rerum omnium vertice »[2] constiterit.

Ac de mentis humanae potestate seu valore sanctum est quod a nostro traditur. « Naturaliter intellectus noster cognoscit ens et

[1] *Ethic.*, lect. 1.

[2] *Contra Gentes*, II, c. 56 et IV, c. 1.

« ea quae sunt per se entis in quantum huiusmodi, in qua cognitione « fundatur primorum principiorum notitia ». [1] Hinc enim stirpitus extrahuntur errores opinionesque recentiorum, qui volunt non ipsum ens intelligendo percipi, sed ipsius qui intelligat, affectionem: quos quidem errores *agnosticismus* consequitur tam nervose reprobatus Encyclicis Litteris *Pascendi.*

Quibus autem argumentis Thomas Deum esse docet eumque unum esse *ipsum Ens subsistens*, ea sunt hodie quoque, sicut aevo medio, omnium firmissima ad probandum: iisdemque liquido confirmatur Ecclesiae dogma in Concilio Vaticano solemniter enuntiatum, quod Pius X praeclare sic interpretatur: « Deum rerum « omnium principium et finem naturali rationis lumine per ea « quae facta sunt, hoc est per visibilia creationis opera, tamquam « causam per effectus certo cognosci, adeoque demonstrari etiam « posse ». [2] Eiusdemque de metaphysicis doctrina, quamquam frequenter adhuc iniquorum iudicum acerbitatem nacta est, tamen, quasi aurum, quod nulla acidorum natura dissolvitur, vim splendoremque suum etiam nunc integrum retinet; recte igitur idem decessor Noster: « Aquinatem deserere, praesertim in re meta« physica, non sine magno detrimento esse ». [3]

Profecto nobilissima quidem in humanis disciplinis est philosophia, sed eam, ut res nunc sunt divina Providentia constitutae, ceteris excellere dicendum non est, cum ad omnem rerum universitatem haud pertineat. Etenim in ipso *Summae contra Gentes* itemque *Summae Theologicae* initio, sanctus Doctor alium rerum ordinem describit, positum supra naturam, eumque rationis captum excedentem, quem homo, nisi ei divina benignitas revelasset, numquam fuisset suspicatus. Haec est regio ubi dominatur fides: fidei autem scientia Theologia nominatur. Iam vero huiusmodi scientia eo perfectior in quopiam sit oportet, quo is fidei documenta melius calleat, simulque pleniorem aptioremque philosophandi facultatem habuerit. Non est autem

[1] *Contra Gentes*, II, c. 83.

[2] Motu proprio *Sacrorum Antistitum*, diei I septembris MDCCCCX.

[3] Litt. Encycl. *Pascendi*, diei VIII septembris MDCCCCVII.

dubitandum quin ad summum dignitatis culmen evecta Theologia sit per Aquinatem, cuius et numeris omnibus absoluta rerum divinarum cognitio fuit et intelligentiae vis facta mirifice ad philosophandum. Quare Thomas non tam sua philosophica institutione, quam huius disciplinae studiis, obtinet in scholis nostris magisterii principatum. Neque enim Theologiae est pars ulla, in qua non is incredibilem ingenii sui ubertatem felicissime exercuerit. Nam primum propriis ac genuinis fundamentis constituit apologeticam, bene definito discrimine, quod inter eas res quae rationis et quae fidei sunt, intercedit, accurateque naturali a supernaturali ordine distincto. Itaque sacrosancta Vaticana Synodus, cum statuit quae de religione cognosci naturaliter possunt, eadem ut certo ac sincere cognoscerentur omnia, necessitate quadam revelari divinitus debuisse, ad mysteria vero cognoscenda divinam revelationem prorsus fuisse necessariam, iis utitur argumentis quae non aliunde nisi a Thoma mutuata est. Qui sanctum omnibus quicumque doctrinae christianae defensionem susceperint, illud vult esse principium: « Assentire iis quae « sunt fidei non est levitatis, quamvis supra rationem sint ». [1] Ostendit enim, etsi quae creduntur arcana sint atque obscura, tamen apertas esse perspicuasque rationes quibus homo ad credendum adducitur, siquidem « non crederet, nisi videret esse cre« denda ». [2] Atque etiam adiungit, tantum abesse ut fides pro impedimento aut pro servili hominibus imposito iugo putanda sit, ut contra in maximi beneficii loco sit numeranda, siquidem « fides « in nobis inchoatio est quaedam vitae aeternae ». [3]

Altera theologiae pars, quae in dogmatum interpretatione versatur, ipsa quoque auctorem habet omnium locupletissimum Thomam; neque enim quisquam aut penetravit altius aut subtilius exposuit augusta quaecumque sunt mysteria, ut de vita Dei intima, de praedestinationis aeternae obscuritate, de supernaturali mundi gubernatione, de oblata naturis, ratione praeditis, facul-

[1] *Contra Gentes*, I, c. 6.

[2] II-II, q. I, a. 4.

[3] *Qq. disp. de Verit.*, q. XIV, a. 2.

tate sui finis assequendi, de humani generis redemptione a Iesu Christo facta eademque per Ecclesiam continuata, perque Sacramenta, quae utraque ab Angelico Doctore « quaedam divinae « Incarnationis reliquiae » appellantur.

Idem praeterea solidam theologiae doctrinam de moribus condidit, quae ad dirigendos totos humanos actus valeat supernaturali hominis fini congruenter. Et quoniam hic plane est in theologia perfectus, ut diximus, rationes certas dat et praecepta vivendi non modo hominibus singulis, sed societati etiam et domesticae et civili; in quo tum oeconomica tum politica morum scientia consistit. Hinc illa praeclara quae sunt in Summae Theologicae parte secunda de paterno regimine seu domestico et de legitimo imperio vel civitatis vel nationis, de iure naturae et de iure gentium, de pace et de bello, de iustitia et de dominio, de legibus et de obtemperatione, de officio vel privatorum necessitati vel prosperitati publicae consulendi, idque cum in naturali ordine tum in supernaturali. Quod si privatim, publice atque in mutuis nationum inter nationes officiis haec sancte inviolateque praecepta serventur, iam nihil aliud requiratur ad eam hominibus conciliandam « pacem Christi in regno Christi » quam orbis terrarum tantopere desiderat. Optandum est igitur, ut quae in gentium iure praesertim explicando legibusque iis quibus populorum inter ipsos rationes ordinantur, Aquinas docet, ea, cum verae *Nationum Societatis* – quae dicitur – fundamenta contineant, magis magisque pertractentur.

Nec minus nobilitata est eius in asceticis mysticisque scientia; is enim, universa morum disciplina ad virtutum rationem donorumque revocata, eamdem vel rationem vel disciplinam egregie definit pro vario hominum ordine, sive qui commune institutum secuti, velint vivere, sive qui ad christianam spiritus perfectionem absolutionemque contendant, iique in duplici vitae genere actuosae et contemplativae. Itaque praeceptum de amore Dei quam late pateat, caritas eique adiuncta dona Sancti Spiritus quomodo crescant, multiplices vitae status, ut perfectionis, ut religiosorum, ut apostolatus, quid inter se differant et quae

cuiusque natura visque sit, haec et talia asceticae mysticaeque theologiae capita si quis pernosse volet, is Angelicum in primis Doctorem adeat oportebit.

Atque hic, quidquid composuit, accurate in divinis Litteris fundavit et exstruxit. Nam sibi persuasum habens Scripturam in omnibus et singulis partibus vere esse verbum Dei, eius interpretationem ad eas ipsas leges diligenter exigit, quas proxime decessores Nostri, Leo XIII in Encyclicis Litteris *Providentissimus Deus*, et Benedictus XV Litteris item Encyclicis *Spiritus Paraclitus*, sanxerunt; positoque eo principio « Auctor principalis Scripturae sacrae est Spiritus Sanctus... Homo autem fuit auctor « instrumentalis », [1] de Bibliorum absoluta fide historica nullum patitur esse dubium, sed verborum sententiae seu sensus litteralis fundamento ubertatem divitiasque constituit sensus spiritualis, cuius triplex genus allegoricum, tropologicum, anagogicum subtilissime explicare consuevit.

Denique, singulari quodam dono ac munere id habuit noster, ut suae praecepta disciplinae in liturgiae preces hymnosque converteret, itaque divinae Eucharistiae vates et praeco maximus fieret. Etenim, ubicumque terrarum et gentium est Ecclesia catholica, ibi ad sacra studiose utitur semperque usura est his Thomae canticis, in quibus simul summa quaedam inflammatio spirat supplicantis animi, simul de augusto Sacramento, – quod praecipue *Mysterium Fidei* appellatur, – doctrinae ab Apostolis traditae eiusmodi inest enuntiatio, qua nulla perfectior. Haec si considerentur, itemque illud ipsius Christi praeconium, quod supra attulimus, sane mirabitur nemo quod hic Doctoris Eucharistici quoque cognomen accepit.

Iam ex iis quae hactenus memorata sunt, haec factu quidem peropportuna colligimus. Primum intueantur oportet sanctum Thomam nostri praesertim adolescentes, magnarumque virtutum decora quae in eo elucent, diligenter imitando consectentur; ante omnia humilitatem quod est spiritualis vitae funda-

[1] *Quodlib.*, VII, a. 14, ad 5.

mentum et castimoniam. Discant ab homine summi ingenii summaeque doctrinae, cum omnem tumorem animi horrere, tum submissione supplici divini luminis copiam suis conciliare studiis; discant, eodem magistro, nihil tam vigilanter quam voluptatis blandimenta refugere, ne scilicet ad sapientiam contemplandam caligantes mentis oculos adiiciant. Nam quod ipse vivendo praestitit, ut diximus, sic confirmat praecipiendo: « Si quis abstineat « a delectationibus corporalibus ut liberius vacet contemplationi « veritatis, pertinet hoc ad rectitudinem rationis ».[1] Quare divinis admonemur Litteris: *In malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*[2] Itaque si Thomae pudicitia tum cum in extremum discrimen adductam vidimus, cecidisset, verisimile est nequaquam Ecclesiam suum Doctorem Angelicum habituram fuisse. – Quandoquidem igitur videmus, corruptelarum illecebris deceptos, iuvenum plerosque iacturam maturrime facere sanctae puritatis, seque dedere voluptatibus, Nos, Venerabiles Fratres, vehementer vobis auctores sumus ut *Militiae Angelicae* societatem, castimoniae Thomae praesidio conservandae custodiendae conditam, usquequaque, praecipue in sacrorum alumnis propagetis: indulgentiae autem pontificalis munera, quibus a Benedicto XIII aliisque decessoribus Nostris cumulata est, equidem confirmamus. Et quo facilius animum quis inducat huic Militiae dare nomen, iis qui eam participant facimus potestatem, loco cinguli, gestandi suspensum collo sacrum numisma, cuius in adversa parte imago expressa sit sancti Thomae cum Angelis ei zonam accingentibus, in aversa Dominae Nostrae Reginae Sacratissimi Rosarii.

Quoniam autem sanctus Thomas omnium scholarum catholicarum rite est patronus constitutus, is qui utramque sapientiam, ratione quaesitam divinitusque inditam, mirabiliter in se, ut diximus, coniunxit; qui difficillimis nodis expediendis ieiunia precationesque fere adhibuit; qui instar omnium librorum Iesu Christi Crucifixi imagine usus est; idem, inquimus, sacrae iuventuti sit do-

[1] II-II, q. CLVII, a. 2.

[2] *Sap.*, I, 4.

cumento, quemadmodum in studiis optimis recte magnoque cum fructu se exerceat. – Homines vero religiosarum familiarum tamquam in speculum inspiciant in Thomae vitam, qui oblatos dignitatis gradus vel amplissimos recusavit ob eam causam ut in perfectissimae obedientiae exercitatione vivere et in suae sanctitate professionis emori posset. – Omnibus denique quotquot sunt Christi fideles cum ab Angelico Doctore pietatis in augustam caeli Reginam capere exemplum, cuius et salutationem Angelicam frequentare et dulce Nomen suis pagellis inscribere consueverat, tum vero ab ipso Doctore Eucharistico amorem in divinum Sacramentum petere licebit. Idque ante alios sacerdotibus, ut est consentaneum: « Quotidie enim unam Missam dicebat « (Thomas) nisi cum infirmitas impedisset, et aliam audiebat socii « vel alterius, ad quam ipse frequentius ministrabat », ait eius vitae scriptor diligentissimus; at quis explicare dicendo possit quo spiritus fervore sacrum faceret, qua se diligentia ad illud compararet, quas divinae Maiestati grates, eodem confecto, persolveret?

Deinde ad errores effugiendos, in quibus omnium huius temporis miseriarum fons est et caput, religiosius quam umquam alias, est in Aquinatis institutione consistendum. Omnino enim Modernistarum in omni genere Thomas opinionum commenta convincit; in philosophia vim et potestatem humanae intelligentiae, ut memoravimus, tuendo, firmissimisque argumentis Deum esse probando; in re dogmatica supernaturalem a naturae ordine discriminando causasque credendi et ipsa dogmata illustrando; in theologia omnia quae fide creduntur non in opinione niti sed in veritate, eademque immutari non posse ostendendo; in re biblica genuinam divinae inspirationis notionem tradendo; in disciplina morum, in re sociali et in iure recte principia ponendo de iustitia legali aut de sociali itemque de commutativa aut de distributiva, et quae iustitiae cum caritate sint rationes explicando; in ascetica de christianae vitae perfectione praecipiendo, atque etiam aequales suis temporibus adversarios religiosorum ordinum oppugnando. Denique contra illam quae vulgo iactari solet, rationis

humanae a Deo solutam libertatem, noster primae Veritatis iura summique Domini in nos auctoritatem affirmat. Hinc apparet satis esse causae quamobrem Modernistae nullum Ecclesiae Doctorem tam metuant quam Thomam Aquinatem.

Quemadmodum igitur olim Aegyptiis in summa annonae caritate dictum est *Ite ad Ioseph*, a quo sibi ad alendum corpus frumenti suppeditaretur copia, ita iis, quotquot nunc sunt in desiderio veritatis, *Ite ad Thomam* Nos dicimus, ut ab eo sanae doctrinae pabulum, quo affluit, in sempiternam suorum animorum vitam petant. Atque hoc pabulum in promptu esse et parabile omnibus, cum causa ageretur de ipso Thoma in beatorum caelitum numerum adscribendo, sic est iurisiurandi religione testatum: « Sub huius Doctoris lucida et aperta doctrina « floruerunt quamplures magistri religiosi et saeculares, propter » modum compendiosum, apertum et facilem... etiam laici et « parum intelligentes appetunt ipsa scripta habere ».

Nos autem, quae et decessores Nostri in primisque Leo XIII[1] et Pius X[2] decreverunt et Nosmet ipsi anno superiore mandavimus, ea omnia volumus sedulo attendant inviolateque servent ii praesertim quicumque in clericorum scholis maiorum disciplinarum magisteria obtinent. Iidem vero sibi persuadeant tum se suo officio satisfacturos itemque exspectationem Nostram expleturos esse, si cum Doctorem Aquinatem, scripta eius diu multumque volutando, adamare coeperint, amoris huius flagrantiam cum alumnis disciplinae suae, ipsum Doctorem interpretando, communicent, idoneosque eos reddant ad simile studium in aliis excitandum.

Scilicet inter amatores sancti Thomae, quales omnes decet esse Ecclesiae filios qui in studiis optimis versantur, honestam illam quidem cupimus iusta in libertate aemulationem unde studia progrediuntur, intercedere, at obtrectationem nullam, quae nec veritati suffragatur et unice ad dissolvenda valet

[1] Litt. Encycl. *Aeterni Patris*.

[2] Motu proprio *Doctoris Angelici*, diei XXIX iunii MDCCCCXIV.

vincula caritatis. Sanctum igitur unicuique eorum esto quod in Codice iuris canonici praecipitur [1] ut « philosophiae rationalis ac « theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem « professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, « doctrinam et principia, eaque sancte teneant »; atque ad hanc normam ita se omnes gerant ut eum ipsi suum vere possint appellare magistrum. At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia: neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videatur.

Itaque, quoniam universi nominis christiani refert sacra haec saecularia digne celebrari – siquidem in Thoma honorando maius quiddam quam Thomae ipsius existimatio vertitur, id est Ecclesiae docentis auctoritas – placet Nobis admodum ut huiusmodi celebratio anno vertente, a die XVIII mensis iulii ad exitum anni proximi, toto orbe terrarum fiat, ubicumque adolescentes clerici rite instituuntur; videlicet non solum apud Fratres Praedicatores, cui quidem Ordini, ut verbis utamur Benedicti XV « laudi « dandum est non tam quod Angelicum Doctorem aluerit, quam « quod numquam postea, ne latum quidem unguem, ab eius di« sciplina discesserit », [2] sed etiam apud ceteras familias religiosorum, atque in omnibus Clericorum Collegiis, magnis Lyceis scholisque Catholicis, quibus ipse datus est Patronus caelestis. Par erit autem hanc almam Urbem, in qua Magisterium Sacri Palatii aliquandiu gessit Aquinas, ad haec agenda solemnia principem exsistere: sanctaeque laetitiae significationibus ante omnia Pontificium Collegium Angelicum, ubi Thomam tamquam domi suae habitare dixeris, tum quae praeterea Romae adsunt Clericorum Athenaea ceteris sacrorum studiorum domiciliis praestare

[1] Can. 1366 § 2.

[2] *Acta Apostolicae Sedis*, vol. VIII, (1916), p. 397.

Nos vero ad eiusdem solemnitatis vel splendorem vel fructum augendum haec pro Apostolica Nostra potestate tribuimus:

1) ut in omnibus Ordinis Praedicatorum ecclesiis itemque in quavis alia sacra aede aut sacello quod populo pateat vel patere possit, praesertim apud Seminaria, Collegia vel domus sacrae iuventuti educandae, supplicationes in triduum vel in octavum vel in nonum diem habeantur, propositis iisdem pontificalis indulgentiae muneribus, quae in usitatis sanctorum beatorumque caelitum supplicationibus lucranda proponuntur;

2) ut in ecclesiis tum Fratrum tum Sororum ex Ordine Sancti Dominici semel per solemnia saecularia, quolibet ex iis diebus, liceat omnibus rite peccata confessis et Eucharistico epulo refectis plenariam peccatorum veniam consequi toties, quoties ad altare Sancti Thomae pias preces fuderint;

3) ut item in ecclesiis Ordinis Dominiciani possint sacerdotes sodales vel tertiarii, anno saeculari vertente, quavis feria quarta aut primo quoque die per hebdomadam libero, Missam in honorem Sancti Thomae, ut in eius festo celebrare, cum *Gloria* tamen et *Credo*, vel sine iis, pro diei ritu, et plenariam peccatorum remissionem lucrari; cuius indulgentiae etiam qui eidem Missae adfuerint, usitatis quidem condicionibus, compotes sint.

Praeterea faciendum est, ut apud sacra Seminaria ceterasque domos clericis instituendis hoc toto temporis spatio aliqua celebris de philosophia aliisve gravioribus disciplinis disputatio in honorem Angelici Doctoris habeatur. Atque ad agendum posthac ita festum diem sancti Thomae, quemadmodum patrono omnium scholarum catholicarum dignum est, volumus eum diem studiosis esse feriatum, eumque non tantum solemni sacro, sed etiam – saltem in Seminariis et apud Religiosorum familias – eiusmodi disputatione celebrari, quam modo diximus.

Ad extremum, quo nostrorum studia, Aquinate Magistro, in Dei gloriam Ecclesiaeque fructum cedant quotidie maiorem, his Litteris precandi formulam, qua ipse utebatur, adiungimus, Vosque obsecramus ut evulgandam curetis. Eam autem quo-

tiescumque quis rite recitaverit, sciat, auctoritate Nostra, septem annorum totidemque quadragenarum poenam sibi esse remissam.

Auspicem vero divinorum munerum ac testem paternae benevolentiae Nostrae, Vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque unicuique vestrum credito apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIX mensis iunii, in festo Principum Apostolorum, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus nostri secundo.

PIUS PP. XI

ORATIO

Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiae tuae tres Angelorum hierarchias designasti, et eas super caelum empyreum miro ordine collocasti, atque universi partes elegantissime distribuisti: Tu, inquam, qui verus Fons Luminis et Sapientiae diceris, ac supereminens Principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras, tuae radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet, et ignorantiam. Tu, qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias atque in labiis meis gratiam tuae benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facilitatem, interpretandi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam. Ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas: Tu qui es verus Deus et homo, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

MOTU PROPRIO

DE CHRISTIANAE DOCTRINAE INSTITUTIONE TOTO ORBE CATHOLICO ORDINANDA.

PIUS PP. XI

Orbem catholicum Encyclicis Litteris cum primum alloqueremur, omnium malorum, quibus humana societas laboraret, unum remedium admonuimus illud fore, si pax Christi in regno Christi quaereretur: addidimusque huiusmodi regnum in terris non aliter constabiliri, nisi Ecclesiae labore et industria, dantis operam hominibus educandis. Id autem tum maxime facit Ecclesia, cum pro suorum sapientia institutorum et legum pueris adultisque doctrinam religionis impertit. Quapropter decessor Noster desideratissimus, Benedictus XV, per litteras a Sacra Congregatione Concilii datas, [1] sacrorum Antistites ex Italia interrogavit, num variis de religiosa populi institutione praescriptionibus obtemperaretur; ad quae illi interrogata, pro sua quisque diligentia et studio, responderunt.

Iam vero quod vigilantissimus Pontifex peropportune inchoaverat, Nos, hanc quoque tamquam hereditatem ab ipso traditam volenti animo recipientes, omnino perficere decrevimus. Eius rei gratia, atque etiam ut huius incepti beneficam virtutem ad cunctas gentes extendamus, placet admodum inire rationem, cum cogitationes ac studia bonorum omnium ad causam saluti communi tam coniunctam revocandi, tum praecipue sacrorum Pastorum toto orbe operam diligentiamque adiuvandi roborandique in re, qua nihil sane pluris interesse potest, idque instituendo apud Romanam Curiam proprio quodam officio, quod dicitur, cuius ope Nos eam quam huic tantae rei debemus summam vigilantiam et curam in Ecclesia universa, melius ac facilius praestare possimus.

Itaque, *motu proprio* ac de Apostolicae potestatis plenitudine, Nos apud Sacram Congregationem Concilii peculiare Offi-

[1] *Acta Apostolicae Sedis*, XII (1920), p. 299.

cium instituimus et per has Litteras institutum declaramus, quo velut instrumento utatur Apostolica Sedes ad urgendam toto orbe terrarum obtemperationem suis legibus de populo christianae doctrinae praeceptis erudiendo: cuius Officii sit universam in Ecclesia actionem catechisticam moderari ac provehere.

Equidem confidimus salutares inde perceptum iri fructus, maxime si ad Apostolicae Sedis auctoritatem ea prompta et alacris Episcoporum ceterique cleri bonorumque laicorum, quam dare solent, opera, quod non dubitamus, accesserit. Sed tamen sinant, quotquot sunt ex utroque sexu consociationes sodalitatesque catholicorum, se a Nobis rogari, ut vel statas de catechismo conciones in sua quaeque paroecia ipsae in exemplum frequentando, vel clero parochiali adiutores ministrando, melius in dies de Ecclesia mereri velint in hoc quidem genere, quo nullum homini catholico nec sanctius nec magis necessarium esse videatur.

Atque eo etiam vehementius rogamus devotas Deo ex utroque sexu familias, ut non modo singulos singularum dioecesium suarum Antistites hac ipsa in re adiuvent, sed etiam curent in suis collegiis alumnos gradatim sic catechismo instruendos ut, cum plenius sapientiusque, quam solent, christianam doctrinam perceperint, et suam fidem contra ea quae obiici vulgo consueverunt, possint defendere et eandem aliis quam plurimis vel inculcare vel suadere nitantur.

Illud etiam magnopere cupimus in praecipuis quibusque sedibus religiosarum sodalitatum quae iuventuti instituendae sunt deditae, ibi, praesidibus ducibusque Episcopis, scholas aperiri delectis ex utroque sexu adolescentibus, qui accommodato studiorum curriculo formentur iidemque, facto periculo scientiae suae, rite renuntientur habiles ad magisterium doctrinae christianae historiaeque sacrae et ecclesiasticae obtinendum. Qui igitur quaeque religiosis domibus praesunt, curae sibi habeant e suis sodalibus deligere quos vel eiusmodi scholas velint celebrare vel pueris puellisque religionis praecepta tradere.

Episcoporum vero erit omnibus de religione scholis assidue advigilare; itemque de opera in hoc genere posita deque rei exitu, maxime quod attinet ad scholas, quas diximus, altiores et collegiorum, tertio quoque anno ad sacram Congregationem Concilii accurate referre. Ita feliciter, speramus, fiet ut maxima illa nationum catholicarum macula eluatur quae est divinae religionis ignoratio, increbrescente late reditu sitientium animarum ad inexhaustos fontes veritatis et gratiae, id est *aquae salientis in vitam aeternam.*

Quae autem his Litteris statuimus, ea semper valida et firma esse iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIX iunii, in festo Principum Apostolorum, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

VERAE CRUCIS

DISMEMBRATIONIS ET ERECTIONIS DIOCESIS PAPANTLENSIS

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Orbis catholici regimen, inscrutabili divinae Providentiae consilio, Nobis commissum, postulat ut, cum in aliqua regione, vel ob nimiam territorii amplitudinem, vel ob auctum incolarum numerum, vel ob itinerum difficultatem, vel ob alias causas, unus tantum Episcopus spirituali sui gregis bono apte consulere nequeat, ibi novae constituantur dioeceses, ut animarum cura, inter plures divisa Pastores, facilius ac salubrius exerceatur.

Quapropter aures benigne porreximus precibus venerabilis fratris Episcopi Verae Crucis in Mexicana Republica, qui, necessitatibus spiritualibus suae dioecesis consulendi causa, a Nobis suppliciter postulavit, ut

sua dioecesis in duas partes divideretur, et, reservata antiquae suae sedi Verae Crucis parte sita in regione australi, in regione septentrionali nova dioecesis erigeretur, simulque ut huic parti a dioecesi Verae Crucis seiungendae aliquot adiicerentur paroeciae a Tamaulipana dioecesi distrahendae.

Cum vero hae preces a Nostro Apostolico Delegato in Mexicana Republica commendarentur, atque venerabiles fratres Episcopus Tamaulipanus et Metropolitanus Archiepiscopus in eamdem sententiam convenirent; Nos, quibus cordi maxime est spiritualibus christifidelium indigentiis succurrere, expetito et habito quoque voto S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum, oblatas preces recipere, atque ad exoptatam divisionem devenire novamque dioecesim in septentrionali parte dioecesis Verae Crucis erigere statuimus.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel sua interesse praesumant, consensu, Apostolicae potestatis plenitudine, novam Cathedralem Ecclesiam, *Papantlensem* ab urbe *Papantla* nuncupandam, erigimus, erectamque per praesentes Litteras declaramus. Cuius fines iidem erunt ac fines harum, quae sequuntur, paroeciarum, ex quibus nova dioecesis efformatur, nimirum: *Papantla*, *Mizantla*, *Yicaltepec*, *Tlapacoyan*, *Martinez de la Torre*, *Espinal*, *Coijntla*, *Coxquihui*, *Gutierrez Zamora*, *Tuxpan*, *Temapache*, *Tihuatlan*, *Tepetzintla*, *Tamiahua;* quae omnes usque modo ad dioecesim Verae Crucis pertinuerunt. Quibus adiicimus has, quae sequuntur, paroecias hucusque dioecesi Tamaulipanae pertinentes, videlicet: *Ozuluama*, *Tantima*, *Tamalin*, *Citlaltepec*, *Choutla* et *Ixcatepec*, quae propterea a Tamaulipana Ecclesia separantur et novae Papantlensi Ecclesiae uniuntur.

Huius ita erectae dioecesis sedes et cathedra erit in civitate *Papantla*, cui sedi eiusque pro tempore Episcopis concedimus honores, insignia, favores, iura ac privilegia, quibus aliae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites in America Latina iure communi vel legitima consuetudine pollent ac fruuntur. Quam cathedralem Ecclesiam suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Angelorum, eiusque pro tempore Episcopos iuri metropolitico eiusdem Angelorum Archiepiscopi subiicimus, reservata tamen Apostolicae Sedi facultate novam decernendi huius ecclesiasticae provinciae huiusque dioecesis dismembrationem, quoties id in Domino expedire visum fuerit.

Ad novae dioecesis administrationem et regimen quod attinet, ad Vicarii capitularis, seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera, aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt.

Volumus quoque ut documenta et acta quae respiciunt paroecias ex quibus nova dioecesis constat, a cancellaria cuiusque ex veteribus dioecesibus Verae Crucis ac Tamaulipanae, quamprimum fieri poterit, tradantur cancellariae modo erectae Cathedralis Ecclesiae.

Presbyteri autem eidem Ecclesiae adscripti censeantur in cuius finibus legitime exstant.

Episcopalem Mensam constituent Curiae Episcopalis emolumenta ac ceterae oblationes, quae a fidelibus praeberi solent.

Mandamus insuper ut duo delecti iuvenes, aut in praesens saltem unus, in Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum de Urbe, novae dioecesis sumptibus, non intermissa vice, mittantur.

Ordinarii autem erit parvum saltem Seminarium, quamprimum fieri poterit, iuxta Codicis dispositiones et normas a Sacra Congregatione de Seminariis traditas, instituere.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, quorum interest vel sua interesse praesumant, auditi non fuerint ac praemissis non consenserint, etiam si expressa, specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse; sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et si secus super his, a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus et decernimus.

Hisce itaque ut supra constitutis, ad eadem omnia exsequenda deputamus Reverendissimum Dominum Titum Crespi, negotiis Sanctae Sedis in Mexicana Republica expediendis praepositum, eidem propterea tribuentes necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere tamen eidem imposito ad Sacram Congregationem Consistorialem mittendi, intra sex menses a praesentibus Litteris acceptis, authenticum exemplar peractae exsecutionis.

Mandamus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae hisce Litteris Nostris tribueretur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent.

Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque conciliis editis, specialibus vel gene-

ralibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nemini ergo has Litteras Nostras dismembrationis, erectionis, evectionis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel contraire liceat. Si quis vero, temerario ausu, hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo secundo, die vigesima quarta mensis novembris, Pontificatus Nostri anno primo.

✠ C. Card. DE LAI, Episc. Sabinen.,
S. Congreg. Consistorialis Secretarius.

O. Card. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

Ludovicus Schüller, *Protonotarius Apostolicus.*
Raphäel Virili, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXVII, n. 29.

II

DE TULANCINGO

DISMEMBRATIONIS DIOECESIS HUEJUTLENSIS

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inter negotia quae Apostolatus officii sunt propria, maximi est momenti consulere ut ecclesiasticae orbis circumscriptiones temporum rerumque necessitatibus apte respondeant. Ita enim catholici nominis regiones in dioeceses sunt distribuendae, ut praestantius verbo vitae ac sanctissimae nostrae religionis praeceptis fideles instituantur salutisque viam inire possint.

Optimo consilio itaque Ordinarii de Tulancingo semel ac iterum ab Apostolica Sede postularunt, ut in amplissimis suae dioecesis finibus nova cathedralis Ecclesia erigeretur. Ut autem nova dioecesis, trans montes in

parte inferiore erigenda, melius consisteret, hodiernus Episcopus innuit opportunum esse eidem dioecesi adiicere aliquot paroecias, quae ad dioeceses Tamaulipanam et Sancti Ludovici Potosiensis modo pertinent.

Nos autem, postquam res a Delegato Apostolico in Mexicana Republica mature perpensa fuerat et a Sacra Congregatione Consistoriali proposita, accedente consensu Ordinariorum Tamaulipani et Sancti Ludovici Potosiensis, habitis consiliis cum dilectis filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus eidem Sacrae Congregationi Consistoriali praepositis, oblatas preces benigne excipiendas censuimus.

Quapropter, suppleto, quatenus opos sit, quorum intersit vel sua interesse praesumant, consensu, novam dioecesim, *Huejutlensem* nuncupandam, Apostolicae potestatis plenitudine, erigimus, cui has, quae sequuntur, vigintiseptem paroecias attribuimus: *Huejutla*, *Platon Sanchez*, *San Felipe Orizatlan*, *Coacuilco*, *Yahualica*, *Huatzalingo*, *Tlanchinol*, *Pisaflores*, *Chapulhuacan*, *Tepehuacan*, *Canali*, *Zolotla*, *Xochicoatlan*, *Huatla*, *Chicoutepec*, *Xochiatipan*, *Ylamatlan*, *Zontecomatlan*, *Ixhuatlan*, *Metlaltoyuca*, *Pantepec*, *Jalpantepec*, quae omnes a dioecesi de Tulancingo distrahuntur; *Tamazuncale*, *San Martin Chalchicuantla* et *Jilitla*, quae a dioecesi Sancti Ludovici Potosiensis pariter distrahuntur; quibus adduntur aliae paroeciae vulgo *Tantoyuca* et *Tempoal*, quae usque adhuc ad dioecesim Tamaulipanam pertinuerunt.

Huius ita erectae dioecesis sedem atque cathedram episcopalem constituimus in urbe *Huejutla*, a qua nomen dioecesis mutuatur; et tum huic sedi, tum eius pro tempore Episcopis tribuimus honores, insignia, favores, iura ac privilegia, quibus aliae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites in America Latina iure communi vel legitima consuetudine pollent ac fruuntur. Quam cathedralem Ecclesiam suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Angelorum, eiusque pro tempore Episcopos iure metropolitico eiusdem Angelorum Archiepiscopi subiicimus, reservata tamen Apostolicae Sedi facultate novam decernendi istius ecclesiasticae provinciae istiusque dioecesis dismembrationem, quoties in Domino id expedire visum fuerit.

Quod autem attinet ad dioecesis administrationem ac regimen, ad Vicarii capitularis, seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura ac onera, aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones decernunt.

Ad clerum autem quod attinet statuimus ut, simul ac huius dioecesis erectio facta fuerit, eo ipso presbyteri Ecclesiae illi adscripti censeantur, in cuius territorio legitime exstant, vel ob animarum curam, vel ob aliquod Ecclesiae officium.

Episcopalem mensam constituent Curiae episcopalis emolumenta et ceterae oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum haec nova dioecesis erecta est, praeberi solent.

Ordinarii erit parvum saltem Seminarium, iuxta Codicis dispositiones et normas a Sacra Congregatione de Seminariis traditas, quamprimum fieri poterit, instituere.

Insuper duo delecti iuvenes, aut in praesens saltem unus, huius dioecesis sumptibus, in Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum de Urbe, non intermissa vice, mittantur.

Documenta autem et acta, quae hanc novam dioecesim respiciunt, a Cancellaria cuiusque veterum dioecesium, ex quibus avellenda sunt territoria ipsius novae dioecesis, tradantur Cancellariae modo erectae cathedralis Ecclesiae.

Volumus denique ut fines huius novae dioecesis iidem sint ac fines paroeciarum, quas supra memoravimus et ex quibus ipsa constat.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, quorum interest vel sua interesse praesumant, praemissis non consenserint, etiam si expressa, specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse; sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere; et si secus super his, a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus et decernimus.

Quibus omnibus ut supra dispositis, ad eadem omnia exsecutioni mandanda deputamus Reverendissimum Dominum Titum Crespi, negotiis Sanctae Sedis in Mexicana Republica expediendis praepositum, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere eidem imposito ad Sacram Congregationem Consistorialem intra sex menses, a praesentibus Litteris acceptis computandos, mittendi authenticum exemplar exsecutionis peractae.

Volumus quoque ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, adhibeatur eadem prorsus fides, quae hisce Litteris Nostris adhiberetur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent.

Non obstantibus regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nemini autem, ullo nunquam tempore, quae hisce Litteris Nostris dismembrationis, erectionis, evectionis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel eis contraire liceat.

Si quis vero, ausu temerario, hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo secundo, die vigesima quarta mensis novembris, Pontificatus Nostri anno primo.

✠ C. Card. DE LAI, Episc. Sabinen.,
S. Congreg. Consistorialis Secretarius.

O. Card. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

Ludovicus Schüller, *Protonotarius Apostolicus.*
Raphäel Virili, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXVII, n. 36.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

DIOECESIS OSAKENSIS IN IAPONIA DISMEMBRATUR ATQUE INDE EFFORMATUR NOVUS VICARIATUS APOSTOLICUS DE HIROSHIMA.

Ad futuram rei memoriam. — Cum ex apostolico munere, quo fungimur, Ecclesiarum omnium cura Nobis commissa fuerit, felici illarum statui ac prospero regimini pro re ac tempore consulere studemus. Iamvero, cum venerabilis frater Ioannes Baptista Castanier, Episcopus Osakensis in Iaponia, proposuerit Nobis ut ob nimiam amplitudinem in duas partes divideretur suae iurisdictionis territorium novaque proinde missio erigeretur, Nos, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis diligenter perpensis, enunciati Praesulis votis benigne annuendum existimavimus. Quare, motu proprio

atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, a dioecesi de Osaka seiungimus sive dismembramus territorium complectens quinque praefecturas de *Yamaghuchi*, *Shimane*, *Hiroshima*, *Okayama* et *Tottorri*, atque inde distinctum vicariatum apostolicum, ab urbe *Hiroshima* appellandum et Societatis Iesu curis concredendum, erigimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

SUPPRESSI VICARIATUS APOSTOLICI DE MARSHALL TERRITORIO ET NOMINE AUGETUR VICARIATUS APOSTOLICUS INSULARUM MARIANARUM ET CAROLINARUM.

Ad futuram rei memoriam. — Ex hac sublimi Principis Apostolorum cathedra, quam divinitus obtinemus, tamquam e procerissima specula, in omnes christiani orbis partes oculos mentis Nostrae convertimus, ut continuo decernamus, quae religioni provehendae reique sacrae procurationi melius gerendae conducant. Iamvero, cum Marianarum et Carolinarum insularum apostolici vicariatus, nuper curis Patrum Societatis Iesu concrediti, limites, ob peculiares easque graves rationes mox ex novissimis politicis mutationibus ortas, reformare opportunum visum sit consilium, Nos, omnibus rei momentis attento et sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, rebusque et circumstantiis omnibus ad dictam mutationem pertinentibus diligenti examini subiectis, denique ea quae sequuntur statuenda existimavimus. Nimirum, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, vicariatum apostolicum insularum Marshall nuncupatum et

hucusque Missionariis vulgo de Sacro Corde Iesu concreditum, exinde esse desinere edicimus; de insulis vero quibus supradictus vicariatus, sic per praesentes suppressus, efformabatur, *Nauru* insulam vicariatui apostolico de Gilbert adnectimus; ceteras vero insulas omnes volumus et mandamus partem fieri vicariatus insularum Marianarum et Carolinarum, qui exinde vocabitur vicariatus apostolicus Insularum Marianarum, Carolinarum et Marshall.

Porro haec praecipimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostris secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

SANCTUARIUM A MATRE DOMINI, INTRA FINES ARCHIDIOECESIS SALERNITANAE, TITULO BASILICAE MINORIS AUGETUR.

Ad perpetuam rei memoriam. — Iam inde a saeculo post Christum natum XII, intra fines archidioecesis Salernitanae, vetus exstat sanctuarium titulo a Matre Domini, in quo maxima christiani populi religione asservatur antiqua imago Virginis Deiparae foventis ulnis Infantem Iesum. Hoc per longam annorum seriem templum splendidis artis operibus ornarunt Principes, Reges, proceres; idem indulgentiis privilegiisque quam pluribus Romani Pontifices Nostri decessores locupletarunt. Miraculis quidem inclyta Virginis imago, Apostolica auctoritate et sollemni ritu, anno MDCCLIX, diademate aureo redimita fuit; ipsiusque sanctuarii custodia primum concredita est Fratribus Humiliatis, postea Basilianis monachis, tandem Fratribus Minoribus Ordinis Sancti Francisci, qui in praesens ibidem, sedulo studio, divino cultui inserviunt. Haec animo repetentes, ultro libenterque excipiendas censuimus esse humiles enixasque preces dilecti filii Callisti Zuccotti, Procuratoris Generalis Ordinis Minorum, qui Nos flagitaverat ut ipsum sanctuarium, ad quod quotannis turmatim confluunt piis

peregrinationibus fideles innumeri, ad Basilicae gradum evehere dignaremur. Has enim preces cumulat etiam atque ornat amplissimum suffragium dilecti filii Orestis S. R. E. Presbyteri Cardinalis Giorgi, Minoritici Ordinis Protectoris, postulatoriis litteris communitum sacrorum Antistitum Salernitani, Nucerini, Cavensis et Sarnensis, nec non municipii Nuceriae Superioris. Quamobrem, audito venerabili fratre Nostro Antonio S. R. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi perpetuumque in modum, vetustum et percelebre sanctuarium a Matre Domini appellatum, intra fines positum archidioecesis Salernitanae, nunc ad Ordinem Fratrum Minorum pertinens, titulo et dignitate Basilicae minoris cohonestamus, cum honorificentiis et insignibus conopaei, absque tamen auri argentive ornatu, tintinnabuli et stemmatis, iuxta formam Basilicarum minorum Almae huius Urbis.

Haec largimur, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis iunii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IV

TITULUS BASILICAE MINORIS CONFERTUR ECCLESIAE SANCTAE MARIAE A MARI, CIVITATIS BARCINONENSIS.

Ad perpetuam rei memoriam. — Venerabilis frater Raymundus Guillamet y Coma, Episcopus Barcinonensium, sua suique cleri ac populi dioeceseos sibi commissae vota depromens, Nos enixis precibus flagitavit, ut ecclesiam in ipsa civitate Barcinonensi dicatam in honorem Virginis Deiparae vulgo *de Santa Maria del Mar* ad titulum et dignitatem Basilicae minoris evehere dignaremur. Nos autem, animo repetentes venerandam templi illius antiquitatem nec non structurae magnificentiam atque artis operum praestantiam; frequentiam simul sacrarum functionum divinique

cultus splendorem; prae oculis pariter habentes actuosum ministerium tum paroeciale tum perinsignis beneficiariorum Conlegii, et plurium confraternitatum atque associationum religiosarum, quae inibi ipsius divini cultus splendorem adaugent; denique probe noscentes novissimis temporibus ipsam sacram aedem affabre fuisse et concinne instauratam, propediem vero ibidem sollemni ritu celebratum iri quartum centenarium recursum a prima erectione confraternitatis Ssm̃i Corporis Christi, conditae ad instar illius quae in hac Alma Urbe ab anno MDVIII canonice exsistit, votis his annuendum ultro libenterque existimavimus. Quae cum ita sint, audito venerabili fratre Nostro Antonio S. R. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi perpetuumque in modum, ecclesiam Sanctae Mariae « a Mari » appellatam in inlustri civitate Barcinonensi exsistentem, ad Basilicae minoris titulum et dignitatem evehimus, illique privilegia omnia tribuimus, quae minoribus Almae huius Urbis Basilicis de iure competunt.

Haec largimur, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis iunii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD EM̃UM P. D. ANTONIUM TIT. SS. MARCELLINI ET PETRI S. R. E. PRESB. CARD. MENDES BELLO, PATRIARCHAM OLISIPPONENSEM, CETEROSQUE ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS LUSITANIAE: EPISTOLAE RESPONDENS EX COMMUNI CONVENTU DATAE.

Dilecte fili Noster et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Perlibenti sane animo epistolam accepimus quam, die XVII aprilis p. e. datam, ex Olisipponensi conventu coniunctim ad

Nos dedistis: in ea enim, cum praeclaram sollertiam vestram in bono rei catholicae civilisque procurando, tum novum pietatis documentum erga Nos Sedemque Apostolicam probe perspeximus. Iam vos, per communes litteras, quas die XXIX septembris superioris anni conscriptas ad fideles vestros dedistis, non parum utilitatis rei catholicae in Lusitania attulistis, normas quidem secuti Sedis huius Apostolicae. Quod si eaedem normae fideli sinceroque animo, ductu quidem Episcoporum, in usum deducentur, uberrimi inde fructus sunt exspectandi, non modo ad Ecclesiae bonum, sed etiam ad pacem veri nominis in Lusitanorum animis constabiliendam. Idque imprimis fore confidimus, quod Nobis est optatissimum, ut, in iis quae ad religionem pertinent, quibusvis sepositis divisionis causis, summaque unione atque concordia, lusitani catholici inter se feliciter consocientur. Qua spe laeti, in divinorum munerum auspicium itemque in paternae benevolentiae Nostrae signum, vobis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, universoque clero ac populo unicuique vestrum concredito apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIV mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

II

AD R. P. D. CAROLUM GIBIER, EPISCOPUM VERSALIENSEM, QUINQUAGESIMUM SUI SACERDOTII NATALEM CELEBRATURUM.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod annum sacerdotii quinquagesimum die septimo proximi mensis expleturus es, tale Nobis videtur eventum, quod non modo clerus populusque tuus tibi de se tam praeclare merito gratuletur, sed Nos etiam publice participando nobilitemus. Plenam enim bonorum operum vitam sacerdos atque episcopus egisti, et, multiplices inter officii tui curas, plus triginta ad Ecclesiae doctrinam inlustrandam tuendamque edidisti volumina, eademque communi iudicio probatissima. Atque, ut nonnihil de rebus episcopatus tui gestis delibemus, novimus equidem te, hoc annorum septemdecim spatio, diocesim istam longe in melius mutasse. Quae enim clero suo, neque aliunde collecto, prorsus carebat, ea iam suos habet sacerdotes satis multos atque haud mediocrem alumnorum numerum qui sacris di-

sciplinis excoluntur. Quod profecto tuae debetur sollertiae, utpote qui vocationum Opus sic constitueris eiusque tam studiose curaveris incrementa, ut dioecesis fideles in partem impensae ac sollicitudinis tuae libentius quidem veniant ac largius. Mittimus magnum numerum earum quas e solo excitasti sacras aedes parochialesque aulas; at vero praeterire silentio non possumus mirabilem illam Coetuum e singulis paroeciis et decanatibus, quos vocant, ordinationem; qui Coetus tam apte inter se coniunguntur, ut omnium actio ad unum eundemque exitum dirigi percommode queat. Quamobrem facile intellegimus, religionem in populo tuo pietatemque revixisse: quae, ceteroquin, ut ita revivisceret, ipsum quoque vitae tuae piissimae ac pauperioris effecit exemplum. Fruere igitur properantis huius eventi solaciis, tuamque laetitiam scito Nostram aeque laetitiam esse. Rogamus autem benignissimum Deum, velit te gregi tuo multum diuque servare incolumem, cuius in bonum paratus es animo, quantum aetatis ac virium supererit, nunquam quiescendo, insumere. Caelestium interea donorum auspicem paternaeque benevolentiae testem, tibi, venerabilis frater, et clero ac populo tuo universo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

III

AD E. D. PATRITIUM HIERONYMUM HENNESSY, MODERATOREM GENERALEM CONGREGATIONIS FRATRUM A SCHOLIS CHRISTIANIS HIBERNIAE: PLENO IAM SAECULO AB INSTITUTI IPSIUS CANONICA CONFIRMATIONE.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Conditum anno MDCCCII ab Edmundo Ignatio Rice Institutum in Hibernia vestrum, idemque a decessore Nostro immortalis memoriae Pio VII, duodeviginti post annos, canonice confirmatum, quamquam exiguis orsum est initiis, successu tamen temporis adeo, benignitate Dei, floruit, ut non paucas hodie sedes habeat, in omnibus fere orbis terrarum partibus constitutas. Quarum profecto numerus permultum cresceret, si tot vobis sodalium copia suppeteret, quot ad novas domos aperiendas undique ab Episcopis expetuntur ac desiderantur. Quod autem opera, dilecte fili, vestra tanti apud omnes fiat, nihil mirari licet si perpendatur, qua vos via ac ratione,

sane laudatissima, adolescentes hinc scientia atque amore religionis imbuatis, inde ad civilem cultum et ad ingenuam vitae consuetudinem educetis. Videmur interea Nos vobis dedisse unde animos ad maiora caperetis, cum novas Sodalitatis constitutiones haud ita pridem probavimus, quae non modo ad Codicis praescripta, uti aequum erat, accommodatae essent, sed etiam sic temperatae, ut Congregationis istius latius proferendae necessitatibus et locorum, quae incolitis, condicionibus multo melius congruerent. Iamvero eas, dilecte fili, ut perdiligenter servetis et custodiatis, ipsum a vobis postulat, quod singulos obstringit, officium perfectionis vitae sanctitatisque persequendae: quam quidem qui persequi neglegant, iam eo ipso ad iuvenes sancte instituendos omnino inhabiles evadunt atque impares. Utinam qui te summo utuntur moderatore religiosi viri saepius animo reputent, quoquot ad excolendam iuventutem vocantur divinitus, eos ad altissimum utilissimumque vocari munus; quo in explendo si, unice ad Dei gloriam animarumque salutem spectantes, actuose elaborarint, Christum Iesum, innocentium puerorum amantissimum, sibi utique, ex ipsa eius promissione, obligabunt. Cupimus, igitur, ad Sodalitatem vestram quam plurimi convolent tirones, qui, divino Spiritu instincti, aveant in tam grande opus vobiscum incumbere; ut, aucto magistrorum christianorum numero, iam spes simul augeatur christianae posteritatis, cum maximo Ecclesiae civitatisque emolumento. Caelestium interea donorum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, universaeque Congregationi tuae apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIII mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

IV

AD EM̃UM P. D. LUDOVICUM TITULO SANCTAE MARIAE IN AQUIRO S. R. E. PRESB. CARDINALEM DUBOIS, ARCHIEPISCOPUM PARISIENSEM: IN QUINQUAGESIMUM ANNUM A VOTO NATIONALI DE TEMPLO SSM̃I CORDIS IN MONTE MARTYRUM EXCITANDO NUNCUPATO.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod die VIII proximi mensis, quo die Sacratissimi Cordis Iesu festum peragitur, commemorare quinquagesimum annum deliberastis, postquam publice

decretum est, ut Galliae paenitentis et devotae nomine et sumptibus, Templum votivum in Monte Martyrum in honorem eiusdem Sacratissimi Cordis e solo excitaretur, id scito Nobis haud mediocrem animi voluptatem peperisse. Haec enim eventi faustitas, ut generosos civium tuorum spiritus inflammatura est, sic posse in animarum bonum uberrimos ferre fructus Nobismet ipsis, quemadmodum tibi, dilecte fili Noster, iure optimo videtur. Quamobrem, cum bene iis omnibus precemur, qui quoquo pacto in exstruendum tam insigne communis Gallorum pietatis monumentum vel operam vel stipem usque adhuc contulere suam, aut in perficiendum ornandumque collaturi posthac sunt, tum Ecclesiae thesauros, quorum dispensatio est Nobis divinitus credita, libenter hac occasione reseramus. Itaque, auctoritate Nostra apostolica, plenariam admissorum veniam, usitatis condicionibus lucrandam, iis universis concedimus, qui votivum istud Templum, hoc anno, die octavo proximi mensis inviserint. Quod ut animis salubriter expiandis atque ad amantissimi Cordis Iesu caritatem acrius incendendis, Dei beneficio, conducat, caelestium gratiarum auspicem et peculiaris benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, et clero populoque tuo apostolicam benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVI mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

V

AD R. P. D. THOMAM ESSER, O. P., EPISCOPUM TIT. SINIDENSEM: QUINQUAGESIMO EXEUNTE ANNO SACERDOTII EIUS.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quinquagesimo propediem exeunte anno postquam sacerdotio in archiepiscopali Seminario Coloniensi initiatus es, Nobis praecipue dignus videris, quem, hac occasione, publico benevolentiae Nostrae testimonio augeamus. Haec enim faustitas, quae solet cuicumque contigerit haud mediocrem afferre laetitiam, vix attinet dicere quantum tibi allatura sit gaudii, cui liceat in tam diuturnum sacerdotalis vitae curriculum, conscientia officii sancte actuoseque expleti, fidenter respicere. Nam sacerdos novensilis in ea incidisti tempora, quibus catholica Ecclesia acerrime apud Germanos divexari coepta est; cumque parocho cuidam adiutor datus esses, omne

genus molestias atque insectationes et carcerem haud semel passus, tandem vi e paroecia es deturbatus. Iter mox Almae huius Urbis ingresso, illud tibi curae fuit, ut, dum sacro vacabas ministerio, altiora studia repeteres atque iterando perficeres: quod videtur auspicato contigisse, ut deinde, quam tibi comparasses multiplicium disciplinarum cognitionem ac scientiam, eam, et editis in vulgus scriptis et instituendo docendoque, utilissime cum studiosis communicares. Postquam enim, duodetriginta annos natus, in Ordinem Praedicatorum cooptatus es, primum in ipso, ubi degebas, coenobio, deinde in Hollandia apud tuos, denique in maximo Hiberniae ecclesiastico conlegio et in catholica studiorum Universitate Friburgensi sacras erudite disciplinas tradidisti, usque dum, huc accitus, gravibus in Romana Curia perfungi coepisti muneribus. Ceterum, quanti te fecerint operamque tuam decessores Nostri, si alia non suppeterent argumenta, vel ipsa comprobaret episcopalis dignitas ad quam sexto ante anno evectus es. Septimo igitur proximi mensis die, sodalibus amicisque stipatus, ad altare accedas laeto et quidem grato in Deum animo, qui tibi benignissime dederit, ut tam plenos bonorum operum quinquaginta hos annos traduceres. Nos autem tibi, ut faustum gratulamur eventum, ita etiam cupimus, ut bene valeas diuque pergas et consilio et sacri exercitatione muneris Urbano populo prodesse. Caelestium interea gratiarum auspicem et paternae caritatis Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

VI

AD RR. PP. DD. CAROLUM GREGORIUM MARIAM GRASSO, ARCHIEPISCOPUM SALERNITANUM, CETEROSQUE ARCHIEPISCOPOS ATQUE EPISCOPOS REGIONUM PICENTINAE ET LUCANAE: OFFICIOSIS RESPONDENS LITTERIS EX COMMUNI CONVENTU DATIS.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum in Vallem Pompeiorum, quasi sub umbram patrocinii Deiparae a Rosario, ad disceptandum de necessitatibus dioecesium vestrarum superiore mense convenissetis, renovatis ante animis per solitudinem rerumque aeternarum commentationem, episcopales coetus inchoastis officiosissimas dando ad

Nos communiter litteras. Periucunde quidem eas, atque item quae postea accesserunt eorundem coetuum acta, perlegimus; placuitque in alteris pietate denuo frui erga Nos vestra, in alteris vim iudicii comperire consiliique prudentiam, quam in deliberando de satis multis rerum capitibus adhibuistis, quae ad statum dioecesium istarum pertinerent. Iam igitur, venerabiles fratres, contendite, ut, secundum ea quae constituistis, omnia digeratis atque ordinetis in populo quisque vestro; neque enim eiusmodi conventus quidquam prodessent, si consilia, quantumvis sapienter inita, in tabulis, sine ullo demum effectu, iacerent. At vero vos tam sedulos tamque industrios in pastoralis perfunctione muneris novimus, ut nihil dubitemus, quin, quae recte decreveritis agenda, ea pro actis haberi liceat. Quod autem scribitis, vosmet, et Litteris Nostris Encyclicis priore alteroque loco datis in gregis gubernatione velle dirigi, et Nobis cum diuturnam incolumitatem, tum laetum optatorum inceptorumque precari exitum, id grato accipimus animo non tam Nostra quam religionis causa, cuius profecto intersit quam maxime, Episcopos idem velle, idem nolle ac Iesu Christi Vicarium, eiusque praecepta atque hortationes in fidelium suorum procuratione peramanter exsequi. Cuius quidem gratae voluntatis Nostrae testimonio sit, eademque vobis caelestium donorum copiam conciliet, apostolica benedictio, quam, venerabiles fratres, unicuique vestrum et clero populoque dioecesium vestrarum ex animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

VII

AD R. P. IOANNEM BAPTISTAM OLLITRAUT DE KERYVALLAN, ABBATEM GENERALEM CISTERCIENSIUM REFORMATORUM: NONNULLA PATERNO ANIMO ADMONENS IN ORDINIS IPSIUS UTILITATEM.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Non sine animi aegritudine accepimus, venerabilem fratrem Augustinum, Episcopum titulo Constantiensem, se iterum munere Abbatis generalis Ordinis vestri abdicasse; qua in sententia cum perstitisset, qui in Capitulum generale convenerant, eos, quamquam invitos, tamen Antistitis egregii optatis obsequi communiter deliberavisse. Non sine animi aegritudine, dicimus; memineramus enim, qualem is Apostolicae Sedi continenter probasset observantiam

officiosamque voluntatem, quamque studiose egisset, postquam tres Trappensium Congregationes in unum corpus nutu atque auctoritate Leonis XIII coaluerant, ut eiusmodi solidaretur compages arctissimaque animorum coniunctione compleretur. Huc praeterea accedebat quod ille idem, abhinc satis multos annos, sapienti prudentique Ordinis gubernatione praeclare de vobis meritus erat. Sed iam reliquum est, quandoquidem in eius locum tu, dilecte fili, communibus subrogatus es suffragiis, ut qua Cisterciensis Ordo vester perfectione atque austeritate vitae Ecclesiam Dei nullo non tempore iuvit atque inlustravit, eam non modo integram incolumemque praestes, sed, cum exemplo ipse tuo, tum sarta tectaque sanctissimarum observatione legum, acrius in dies cures provehendam. Cuius quidem officii perfunctionem, etsi sollicitudinibus ea minime vacabit, attamen minus gravem operosamque sodales ipsimet tui efficient, ut sunt religiosae vivendi disciplinae retinentissimi. Non est profecto cur putemus, hortationibus eos indigere Nostris; sed dubitare non licet, quin benigna communis Patris verba, si quid in eorum memoriam redegerimus, sint grata iidem voluntate accepturi. Itaque paterne monemus, praecipuae illae virtutes, quas a sodalibus coli diligenter Ordo vester, et natura ipsius sua et veluti transmissa a maioribus hereditate, sollemne ad hunc diem habuit, sic animis haereant vestris, ut in sucum ac sanguinem convertantur nec unquam per neglegentiam lassitudinemve depereant. Caritatem dicimus, quae in coenobiis istis, immutabilis concordiae effectrix, regnet oportet ex praescriptis et vel ex ipsa pulcherrima legum appellatione vestrarum, quae « Charta caritatis » inscribuntur. Dicimus obedientiam, quae nisi totam penitus religiosam vitam pervaserit, iam cetera omnia, quasi nullo subnixa fundamento, nutabunt; quod ceteroqui, ut nostis, superiorum aetatum experimentis comprobatur, cum, quo magis eiusmodi virtus apud vos viguit, tanto se extulit patentius sanctorum operum fecunditas. Praeterea, ut vivitis a saeculo disiuncti ab hominumque consortione remoti, id ipsum corroborate propositum amore solitudinis et « novitatum profanarum » fuga, cum eo imbuti esse debeatis spiritu qui a mundi spiritu quam longissime absit. Quo in genere non ignoratis, horum praesertim temporum homines, in quibus tantum potest immoderatus sui suarumque rerum amor, cum paene exuerint caritatem nullamque patiantur disciplinam, tum intemperanter licenterque, abiecta rerum aeternarum cogitatione, se in medias saeculi voluptates deliciasque coniicere. Sit quidem, ut miserrimos mundi asseclas modice vestrum tangat moveatque exemplum; in comperto tamen est, posse vos, et assidue orando et vitam degendo, ut facitis, paupertatis paenitentiaeque studiosissimam, eorum emendationi et saluti prodesse quam plurimum. Istas igitur virtu-

tes, quae vos validissimos apud Deum deprecatores efficiant, in domibus vestris, dilecte fili, enervari et languere ne sinas. Quodsi temporum condiciones suaserunt, ut de pristino exterioris disciplinae rigore aliquantulum, Apostolica Sede probante, remitteretis, at paenitentiae spiritum, qui vobis est gloriae ac praesidio, servatote integrum, ne ab instituto ipsorum vestro gradatim, cum magno Ordinis populique christiani detrimento, degeneretis. Habes, dilecte fili, quae placuit ad te scribere, cum coenobiis et virorum et alumnarum communicanda; ea quidem ut, pro optatis Nostris, usui Ordini vestro sint, caelestium donorum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et sodalibus, quibus praees, universis apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis maii anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

VIII

AD RR. PP. DD. IANUARIUM COSENZA, ARCHIEPISCOPUM CAPUANUM, CETEROSQUE CAMPANIAE ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS: COMMUNI EX ANNUO CONVENTU DATAE EPISTOLAE RESPONDIT.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Quam, Neapoli in coetum congregati, ad Nos die VII huius mensis dedistis epistulam, ex ea sensus profecto eminent episcopalibus animis digni. Ardorem enim caritatis, qua Nobiscum coniuncti estis, et illud quod Apostolicae huic Sedi pollicemini ac profitemini obsequium, ea significastis verborum vi et incitatione, sententias quoque ab Irenaeo et Ambrosio Nostro mutuati pulcherrimas, ut inde magnam, cotidianas inter sollicitudines, delectationem hauserimus. Iure autem optimo exsultatis laetitia, quod Venerabili Roberto Bellarmino beatorum caelitum honores decrevimus; is enim, etsi Societatem Iesu, Sacrum Purpuratorum Patrum Conlegium, demum Ecclesiam catholicam sanctitatis doctrinaeque splendore inlustravit, tamen vester est et dici potest, cum Capuanam archidioecesim plures annos sapienter studiosissimeque sit moderatus et mirifica omnium virtutum, caritatis potissimum, ibidem exempla reliquerit. Quem si quidem vobis et fidelibus vestris ad imitandum laeto exitu proposueritis, iam Campana regio, quae est ubertate frugum fructuumque notissima, christianarum

virtutum altrix habebitur multo feracior. Quod denique, praeter alia, Nobis cupitis, ut diutissime auctoque in dies robore Petri Sedem obtineamus Ecclesiaeque navigium gubernemus, maximam habemus vobis gratiam, et caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, venerabiles fratres, et clero populoque uniuscuiusque vestro apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIX mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

IX

AD EÑUM P. D. BASILIUM S. R. E. EPISCOPUM VELITERNUM CARD. POMPILJ, VICE SACRA URBIS ANTISTITEM: DE SOLEMNIBUS SUPPLICATIONIBUS AD SACERDOTALIS VOCATIONIS GRATIAM PLURIBUS IMPETRANDAM.

Venerabilis frater Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Dolendum profecto est – quod plurimi Nobiscum una dolent sacrorum Antistites – tam exiguum esse eorum numerum qui ad sacerdotale munus contendant: unde fit, ut passim per Italiae dioeceses paroeciae satis multae suo sint curione miserrime destitutae. Cuius quidem rei causas non est cur hic consideremus; quodsi haud semel quae opportuniora ad experiendum remedia viderentur decessores Nostri significarunt, huic tamen incommodo sane gravissimo Ille unus plene congruenterque mederi potest, qui pretioso suo animas redemit sanguine iisque ad aeternam beatitatem traducendis Ecclesiam dedit suae missionis heredem. Qui cum suos docuisset quibus verbis Pater, qui est in caelis, orandus esset, non aliam praeterea visus est discipulis, adeoque omnibus hominibus, commendare precationem, nisi ut sacrorum copiam operariorum exposcerent: *rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam.* Deo igitur benignissimo instandum: qua in re ut ceteris dioecesibus sit Alma haec Urbs exemplo, quae ipso Iesu Christi Vicario feliciter pastore proprio suo utitur, volumus, venerabilis frater Noster, ut stato certo quodam huius mensis iunii die, qui sit idem unoquoque in futurum anno hanc ad rem destinatus, in omnibus Urbanis templis sollemnes supplicationes habeantur ad divinae vocationis gratiam a Sacratissimo Corde Iesu, animarum amantissimo, quam plurimis impetrandam. Eiusmodi autem exemplum confidimus Episcopos omnes, Italiae potissimum, sic imitari, ut in sua quisque dioecesi idem sta-

tuant agendum quod Romae opportune fieri cognoverint; immo non tam confidimus quam certum habemus, cum ita ii sint Nobiscum coniuncti eoque animarum salutis studio flagrent, ut dubitare non liceat quin, te, venerabilis frater Noster, praeeunte, optata Nostra explere velint ac properent. Quae ut laetus consequatur exitus, quem, ceteroqui, Christus Iesus vel ipsa adhortatione ad precandum pollicitus esse videatur, efficiat quoque apostolica benedictio, quam tibi, venerabilis frater Noster, et clero populoque Urbis universo, paternae benevolentiae Nostrae testem, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Iunii, in festo Sacratissimi Cordis Iesu, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

X

AD EM̃UM P. D. GUSTAVUM FRIDERICUM TIT. S. MARCI S. R. E. PRESB. CARD. PIFFL, ARCHIEPISCOPUM VINDOBONENSEM, CETEROSQUE AUSTRIAE ORDINARIOS: DE CONVENTU REI CATHOLICAE PROVEHENDAE VINDOBONAE FUTURO.

Dilecte fili Noster, venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Bellum post hominum memoriam longe omnium teterrimum ii apud vos consecuti sunt eventus, ut hinc catholici aliquamdiu haeserint quo pacto tot tamque novis malis mederentur, inde Ecclesiae adversarii asperrima rerum condicione usi sint ut religionem de pristino honore statuque per iniuriam deiicerent. Quod quidem si per universam rempublicam passim contingit, at Vindobonae potissimum fit in ipsa urbe principe, quam sectae quasi quoddam actionis suae centrum delegerunt, unde Ecclesiam Dei, veluti instructa in omnes partes acie, commodius adorirentur. Infesti igitur ii homines fidem e civium animis per falsas doctrinas convellere nituntur acerrime, eosque cogunt, qua nimia valent rerum potentia, ab Ecclesia deficere; et non aliud profecto propositum persequuntur cum socialisticam luem institutis omnibus, praecipueque scholis, aspergunt. Neque minus periculi fidelibus vestris heterodoxi, praesertim ex America, facessunt, qui cum imperitos simplicesque animos callide subtiliterque decipiant, tum afflictis populi fortunis abutuntur ut eundem pecunia corrumpant. Quibus sane in propulsandis incommodis nec utriusque cleri studium atque operam usque adhuc desiderastis nec hodie desideratis; at vero ea est sacerdotum apud vos penuria, ut necessitati iam prorsus impares exsistant.

